UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina Evangelica De Meditatione mortis

Kispenning, Henricus

Antverpiæ, 1583

Sententia vij. Ioan. viij. Si quis sermonem meum seruauerit &c. xxvj.

urn:nbn:de:hbz:466:1-46214

Visual Library

Lumen de lumine: qui ait hominibus, Ego ſum Lux mundi. Qui Lumē eſt, ipſe & Fons eſt. Qui tibi lucet, vt videas: ipſe tibi manat, vt bibas. Sequere igitur iſtum Solem: iſtam Lucem ama: vt ad eam aliquando venias, in illa viuas & non moriaris. Spera in Domino: Pſal. 3.
quia Domini eſt ſalus. Non dedignabitur ſaluare, quos dignatus eſt tam clementer ad ſe vocare.

SENTENTIA VII. Ioannis 8.

Amen amen dico vobis: Si quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non videbit in æternum.

PARACLESIS.

CAPVT XXVI.

NVllo in horto inuenitur herba eius efficaciæ, vt mortem depellere queat: & ſicubi inueniretur, certe diuites eſſent pretiū aucturi, vt tenuioribus nulla eſſet poteſtas illius conſequendæ. Et quid eſt hæc vita, cui nihil non, ſi prodeſſe poſſet, impenderemus? Labor & Dolor: vt optari magis debeat mors hæc naturalis, vtpote omnium miſeriarum finis, quàm arceri. Sed gratia Chriſto Saluatori noſtro, qui de cælo herbā contra vim veræ mortis detulit: nimirum SALVTEM *æternam. Ec-* Eſa. 49.
ce, inquit Deus Pater ad filium ſuum D. N. Ieſum Chriſtum, dedi te in lucem gentium, vt ſis SALVS *mea vſque ad extremum terræ. Hæc Herba quæ ſola morti medetur, tantùm in horto ſeu Paradiſo Eccleſiæ Catholicæ plantata, ex ſemine incorruptibili & immortali enaſcitur, quod eſt Verbum Dei viui & permanentis* 1. Pet. 1.
in æternum: quod qui vera fide amplectuntur, liberantur ab æterna morte: & conſequuntur Vitam & ſalutem æternam. Itaq. hæc Chriſti Ieſu viua & ſalutaris Medicina ſola & hanc corporis temporalem mortem moderatur & mitigat: & æternam quæ vna timenda eſt, expellit: & Vitam æternam confert. Beati ergo qui Luc. 11.

audiunt Verbum Dei, & cuſtodiunt illud: Virtus enim Dei eſt, in ſalutem omni credenti. Roman. 1.

SENTENTIA VIII. Ioannis 10.

Ego ſum oſtium. Per me ſi quis introierit, ſaluabitur: & ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet.

PARACLESIS.

CAPVT XXVII. Cyril. in Ioan.

CHriſtus Ieſus, quanquam vt ſummè bonus noſtri non indigeat, tamen pollicitationibus & promiſſis non deſinit nos prouocare, vt ſuæ Bonitatis, ad eum venientes, efficiamur participes & conſortes. Quiſquis itaq; introierit per Chriſtum, ſaluabitur: quia ipſe fons eſt ſalutis in totum orbem diffuſus, per quem in omnes deriuatur veræ ſalutis gratia. Ipſe venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere: &, vt ſaluum faciat populum ſuum à peccatis eorum.

1. Tim. 1. Matth. 1.

SENTENTIA IX. Ioannis 10.

Ego ſum Paſtor bonus: & cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ. Sicut nouit me Pater, & ego agnoſco Patrem: & animam meam pono pro ouibus meis.

PARACLESIS.

CAPVT XXVIII. Auguſt. de ſalutaribus Doc. cap. 57.

NVlla ergo preſſura nos terreat: nulla calamitas frangat. Dominus in proximo eſt, & Paſtor noſter circa nos eſt: quid metuimus? Clamemus ad Paſtorem noſtrum, vt nos audiat: clamemus in compunctione cordis, dicentes: Errani ſicut ouis quæ perierat, require ſeruum tuum Domine. Clamaui ad te Domine, dixi, tu es ſpes mea: portio mea in terra viuentium. Libera me de manu inimicorum meorum, & eorum qui me perſequuntur. Nunquid Paſtor noſter bonus, qui animam

Pſal. 118. Pſal. 141.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN